



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Observationvm dierum festiuorum. iuxtà Concil. Trid. sess. 25. cap.
12. de Regular.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

2 Cappellania non dicitur beneficium.

Illegitimus an possit obtinere beneficium in Ecclesia, ubi pater fuit Cappellanus amouibilis.

1 **S**I pater ministravit in aliqua Ecclesia tanquam Cappellanus amouibilis sine titulo beneficii, tunc filius eius illegitimus potest in eadem Ecclesia ministrare, & habere beneficium, Gratian. tom. 2. discipulat. c. 397. num. 24. & seq. Grazia in tract. de benefic. par. 7. c. 3. n. 72. & alij communiter affirmantes, iuxta hanc sententiam fuisse decisum, & determinatum per sacram Congregationem Concilij Eminentissimorum Cardinalium.

Et ratio præfata opinionis datur, nam Concilium solum loquitur in casu quo pater habet, vel habuit beneficium, at qui servit alicui Ecclesie, vel in ea ministrat non propterea dicitur habere in ea beneficium, quæ ratio, idem probat si pater, & filius velint celebrare in eadem Ecclesia, in qua neuter habet beneficium.

2 Certumque est, Cappellaniam non esse beneficium, & ideo videmus non comprehendi sub Regula octava Cancellariæ de mensibus, & alternatiua, ut latè probat Gonzal. in coment. ad eandem Regul. Cancell. gloss. 5. ubi num. 21. dicit tales Cappellanos non posse conferri ab Episcopis, Curt. Iun. consil. 20. part. 1. Rebuff. de pacific. possessor. num. 287. nam in huiusmodi Cappellanijs non concurrunt requisita beneficii, de quibus alibi diximus, & ideo non oportet iterum hic recensere.

RESOLVT. CCCLXXV.

- 1 Nepotes non comprehenduntur sub dispositione Concilij loquentis de filiis.
- 2 Filius representat incontinentiam patris.
- 3 Filius præsumitur esse similis patri.

Nepotes An prohibeantur habere beneficia in Ecclesijs, in quibus eorum Aui habuerunt, vel habent.

1 **E**GO dixi in decis. Curia Archiepiscopalis Neapol. 300. part. 4. textum Concilij, de quo supra prohibentem, ne filij Clericorum possint habere beneficia in Ecclesijs, in quibus patres ministraverunt, non habere locum in nepotibus, sicque sentierunt Roias de success. ab intestat. c. 20. num. 112. Rebuff. in praxi dispensat. super defect. natal. num. 27. & meam opinionem noviter sequitur Novarius in suo utili tractat. de elect. & variat. fori quaestione 9. num. 60. in fine sect. 3. in ultim. impress. & ita de mandato Sanctissimi D. N. Gregorij XIII. determinavit Sacra Romana Rota, ut dicit addit ad Sayr. decil. 9. de filiis presbyterorum per hæc verba.

Advertendum est circa id quod tradit Auctor de nepotibus, quod cum Illustrissimi, & Reverendissimi Cardinales Congregationis sacri Concilij Tridentini existimaverint, tam in dicta constitutione Clementis VII. quam in Concil. Trident. sub illa prohibitione, Ne filij illegitimi beneficium paternum obtinere possint, comprehendi nepotem legitimum ex filio illegitimo respectu beneficii aucti ob ea Concilij verba longissimè, nec vlla in his terminis Rotæ decis. reperta fuisset statuerunt postea iidem Cardinales ex ordine S. D. N. Gregorij XIII. intelligere quid de hac re Rota sentiret, ubi ut notat Navar. consil. 10. in Novis decisijs fuisse in Rota duodecima die Februarii 1574. non comprehendi nepotem legitimum ex filio illegitimo, neque sub Clem. neque sub Concil. Trid. tam inspectis verbis, quam etiam inspecta mente, seu ratione tam Clem. quàm Concilij; quæ Rota decis. probari facile potest, si quidem si verba Clement. consideremus certa est illa non conuenire nepoti legitime, ut patet ibi in ipsorum resignantium filiis

ex fornicatione natis; & ibi super defectu Natalium, quæ ex dictis Sacerdotibus resignantibus geniti patiebantur, & ibi ob inordinatum spuriorum filiorum amorem; & ibi quod de cetero filij presbyterorum, ex fornicatione nati, & similiter, nec verba Concilij conueniunt, ut patet ibi, qui non ex legitimo Matrimonio nati sunt. Unde cum regula generalis sit, quod ubi verba dispositionis non conueniunt, neque dispositio ipsa conueniat, ex Bart. & Dec. in l. 4. §. Prætor ait, de damn. infect. & idem Bart. in c. 1. n. 21. de elect. & Alciat. in l. liberorum num. 6. de verb. significat. & ibidem Alex. in verb. Tertius casus est, & in dictis constitutis, solum mentio fit filiorum, non ea solum ratione, quod si filij sint, sed quia nati sunt ex fornicatione, consequens est, ut quæ de filiis illegitimis statuuntur in nepotibus legitimis locum non habeant, ex Bart. in l. fin. c. de filiis natural. qui etiam cum alijs communiter concludit conclus. 1. num. 58. de verbor. significat. nepotem legitimum ex filio illegitimo heredem de Auo institui posse, quia in eo vitium paternum, & per consequens qualitas patrem excludens cessat, ut docent Card. Paleot. de nobis, & spuris c. 53. & Couar. in Epit. par. 2. c. 8. §. 5. n.

2 13. sed ne timens, aut ratio Clement. ut Concilij locum, habet in nepote natus filius representat incontinentiam patris, nepos autem non item, & filius præsumitur esse similis patri sic nepos respectu Aui, siue ergo verba, siue mentem Clementina, aut Concilij inspicimus dicendum est nepotes legitimos non excludi, cum non militet eadem ratio, & materia est odiosa, & quia si Clementina, vel Concilium nepotem legitimum excludere voluissent, nepotem etiam sicut filium nominassent; Denique huius opinionis sunt, gloss. in cap. presbyterorum, verb. filios dist. 56. & in cap. Apostolica 8. quaest. 1. Archid. ibi Goffred. in summ. n. 5. de filiis presbyterorum, Ioan. Andr. & in c. ad extirpandas titul. eodem, & Auth. ibidem Pisanell. & alij summissæ communiter in verb. illegitimus.

P R A X I S O B S E R V A T I O N V M dierum festiuorum.

Iuxta Concil. Trid. sess. 25. cap. 12. de Regular.

RESOLVT. CCCLXXVI.

- 1 Episcopus habet intentionem fundatam super obseruatione dierum festiuorum.
- 2 Non observans dies festos peccat mortaliter.
- 3 Orationibus vacandum est in diebus festiuis.

Quid disponat in Concil. Trid. obseruationem dierum festiuorum.

PRO introductione discutiendorum libet hic ponere formalia verba Concil. Triden. sess. 25. c. 12. de Regularib. quæ sunt ut sequitur videlicet.

Episcopus an possit sub pœna excommunicationis prohibere opera feruilia diebus festiuis.

1 **E**PISCOPUS habet intentionem fundatam, tam de iure cõmuni c. 1. de ferijs, quàm ex forma Constitutionis sanctæ memoriæ Pij Papæ V. incipiente: cum primum Apostolatus officium §. cum vero, circa dierum Festiuorum obseruationem, ut in Bullario n. 5. ubi expressè prohibetur Dominicis, & alijs diebus festiuis in honorem Dei, & B. Mariæ Virginis fieri mercatus, & huiusmodi profana negotiationes, & opera feruilia, quæ constitutio obligat inobediētes ad peccatū mortale propter verba præceptiua, & prohibitiva, Navar. in summ. c. 23. num. 52. post Felyn. in cap. nam concupiscentiam de confit. Abbas in cap. dolentes de celebrat. Missar. Doctor. in Clemēt. dudum de sepulch. & Clemēt. si Dominū, §. ideoque de reliquijs, & venera-
3 tione

3 tione Sanctorum, vacandum est enim diebus his orationibus, & ab opere seruii abstinendum; Nam quod dicitur alias licite exerceri est illicitum dictis diebus, Hostiens. in summ. in titul. de feriis, §. quid nō in princip. & in c. 1. vbi Abbas num. 5. Butr. Cardin. & alij eodem titul. Gregor. in suo opere Syntagm. iuris p. 3. lib. 25. c. 3. num. 8. qui testatur prohibitum esse per legem generalem mercatus, & nundinas his diebus in Gallia fieri; Rebuff. in constit. Regni Gallie tit. de mercatoribus, artic. vnico glos. vltim. nu. 5. & in omni bene constituta Ecclesia prohiberi videmus, vt in constitutionibus Ecclesie, & Prouincie Mediolanen. lib. 1. tit. de Festorum dierum cultu §. 3. Fusc. de visit. lib. 2. ca. 21. numer. 41.

RESOLVT. CCCLXXVII.

- 1 Episcopi tenentur sub mortali si dies festiuos obseruari non faciunt.
- 2 Episcopi tenentur suos populos hortari, vt in diebus festiuis audiant Missam.
- 3 Episcopus num possit excommunicare non audientes Missam in diebus festiuis.
- 4 Memorabile in proposito asseritur.
- 5 Episcopus potest prohibere ne histriones in diebus festiuis ante celebrationem Missa in circulis cantent.
- 6 In diebus ferialibus est Missa celebranda valde mane pro Artificibus.
- 7 Episcopus non debet laborari facere diebus festiuis in suo territorio.

De sollicitudine Episcopi circa obseruationem Festorum.

- 1 SUMMOPERE ad cultum Diuinum pertinet obseruatio Festorum, de qua plura sacris Canonibus tit. de feriis in Bulla Pij V. cum primum quæ obligat Episcopos ad mortale si festa obseruari nō faciunt, & in actis Ecclesie Mediolanen. & apud Summistas pauca vero magis frequentia memoranda censui.
- 2 Primo, quod Episcopus debet hortare populum, totis viribus, vt in diebus festiuis audiant Missam propter summam eius vtilitatem, quam post alios recenset Toletus in instruction. Sacerdot. li. 6. c. 9. & propter singularia exempla relata à Diuo Gregorio in dialog.
- 3 Et quamuis Episcopus possit non audientes Missam excommunicare, cap. Sacerdotes, cap. Missas, ca. omnes de conf. dist. 1. id tamen sine grauissima causa facere non debet, nempe quando contemptus manifestus cognoscitur, quia multi excusantur ex pluribus causis nē excommunicatio potius illaqueet, quam edificent.
- 4 Ioannes Patriarcha Alexandrinus, vt contineret populum ad audiendam Missam vsque ad finem, vsus est tali arte, cum enim populus die quadā finito Euangelio discederet, ipse quoque omittēs celebrare sequebatur illos dicens. Quod Pastor debebat sequi oues quo ibant, Populus verecundia confusus deinceps non discessit ab Ecclesia ante benedictionem Sacerdotis, hoc autem hodie fieri non potest c. in his 7. quæst. 1.
- 5 Secundo debet prohibere diebus festiuis de mane Histriones, & Mimos, quia multi eorum causa retrahuntur ab auditu Missa: Quin immo, qui relictis diuinis, accedunt ad eos, possunt excommunicari, cap. qui die de constit. dist. 1. & ca. 2. dist. 3. Tempore Quadragesimali prædicti sunt prohibendi de mane, & sero, quia est tempus penitentiae.
- 6 Tertiò, vt populus diebus ferialibus audiat Missam, deberet Episcopus mandare, vt valde mane celebraretur vna Missa pro artificibus, & alijs negotiatoribus, iuxta c. est necesse de consecrat. dist. 1. sed vt die festo audiat concionem debent prohiberi Missa priuata

Praxis Aloy. Ricc. Pars IV.

ante conuentuale c. & hoc attendendum, dict. dist. 1. & supra diximus.

- 7 Quarto, vt fideles diebus festiuis desistant ab opere seruii, id ante omnes ipse Episcopus aliorum exemplo seruare debet, & proinde cauere ne in diebus festis faciat boues fidelium laborare in terris Ecclesie quando ipse Episcopus non est pauper, sed posset conducere, quia hoc esset peccatum, & scandalum magnum alijs prohibere, & pro Ecclesia permittere; Dixi nisi Episcopus ob paupertatem posset conducere boues, quia tunc necessitas facit licitum.

RESOLVT. CCCLXXVIII.

- 1 Consuetudo excusat à peccato.
- 2 Episcopus potest prohibere ne in diebus festiuis Populus elaboret, consuetudine aliqua in contrarium non obstante.
- 3 Consuetudo, quæ est inductua peccati, tollenda est.
- 4 Bald. in l. quadraginta, c. de feriis declaratur.
- 5 Consuetudo per quam tolluntur ferie in honorem Dei, si ex aliqua iusta causa inducitur sit, an subsistat.

An consuetudo regionis excuset ab obseruantia festorum, ita vt pena ab Episc. imposita exigi non possit.

- 1 NEGATIUE resoluendum est, quia tunc consuetudo excusat à peccato, quando est tolerata ab Episcopo, causa rationabili subsistente, puta necessitatis, pietatis, & similis, sed non propterea arctantur Episcopi ne huiusmodi abusus possint prohibere maxime in diebus festiuis solemnibus, in quibus secundum aliquos, nec etiam tolerantia Episcopi excusaret, & ita loquitur Angel. in sum. in verbo feria §. 21. Syluest. in verbo Dominica §. 3. queritur Caiet. in verbo festum §. quo ad tertium, Arm. eodem verb. n. 15. Nauarr. in manu. c. 15. n. 8. Poterunt ergo Episcopi præfata prohibere: immò ad id tenentur, prout expresse præcipitur in dicta Constitutione Pij V. §. cum vero, vers. quibus omnibus districte præcipimus, quæ verba magis obligant ad peccatum mortale, Butr. & Ioan. Andr. in c. dolentes de celebrat. Missarum, & licet Caiet. in dicto §. festum fauendo dictæ consuetudini dicat excusationem tribuere, tamen etiam fatetur laudabile esse huiusmodi nundinas, & mercatus prohibere, obedientia speratur. Immò dicta consuetudo tanquam inducitur peccati potius abusus est ideò tollendus, vt dicit Butr. in dicto c. fual. de fer. n. 3. & ibi Abb. nu. 5. Roch. in c. fin. de consuetud. in princip. nu. 14. & latius n. 28. sect. 2. nu. 4. & 21. cum seq. Rebuff. in tract. de consuetud. num. 44.
- 4 Non obstat doctrina Baldi in l. quadraginta, Cod. de fer. vbi concludit valere consuetudinem per quam tolluntur ferie in honorem Dei, quia non procedit vbi agitur de peccato, vel periculo animæ, prout esset in violatione festorum, quæ præcipiuntur in venerationem Diuinæ Maiestatis, prout explicat Alex. consil. 53. num. 11. lib. 5.
- 5 Præterea tunc valebit dicta consuetudo per quam tolluntur huiusmodi ferie, quando subesset publica, & legitima causa, de qua hic non constat, Bart. de representatijs quæst. 9. princip. quæst. 4. vt cum publica necessitas vrget iuxta c. licet de feriis l. omnes Iudices C. eodem; & ex his patet responso Bald. in leg. vnic. num. 1. Cod. de nundinis, & ad Sotum de iustitia, & iure lib. 12. quæst. 4. art. 4. circa finem, & ad Maranta in praxi iudiciorum dist. 9. num. 49. Francisc. Marc. decil. 53. n. 1. part. 1.

RESOLVT. CCCLXXIX.

- 1 Tolerantia Superioris an excusationem inducat.

Nn 3 2 Tole-

2 *Tolerantia Superioris an excuset transgressores dierum festiuorum.*

An Tolerantia Episcopi excuset transgressores obseruationis festiuorum dierum.

1 **D**ebitandi ratio pro affirmatiua cōfert illud, quod dici solet tolerantiam Superioris inducere excusationem, vt probat text. & quod ibi communiter notatur in cap. cum iam dudum, de prebendis, Bald. in conf. 21. vol. 1. Dec. in conf. 70. nu. 3. & seq. vol. 2. Alex. in conf. 71. nu. 6. vol. 2. & Superioris tolerantiam quodammodo excusare a pena, testatur Sella in decif. 37. Ruiz. in decif. 2. nu. 31. & sequenti, & tolerantia Papae aliquando excusare voluit, Azor. part. 1. lib. 5. c. 12. Posseuin. in explicat. Bullae Cœnæ cap. 13. colum. fin. in medio.

2 Ceterum contrarium firmiter tenendum in casu præposito, nec tolerantiam Episcopi excusare voluit, Gratian. in decif. Rotæ Marchiæ in 21. nu. 7. & seq. & ita pariter scribit de iure verius, ac firmiter tenendū Syluest. in verbo Dominica §. 3. quaritur Caiet. in verbo festum §. quo ad tertium, Armill. eod. verbo n. 15. Nauar. in Manu. c. 15. num. 8. potest ergo Episcopi præfata prohibere, immo ad id tenetur, prout expressè præcipitur in dict. constitut. Pij V. §. cum vero, verbi quibus omnibus districte percipimus.

RESOLVT. CCCLXXX.

- 1 *Regulares non tenentur obseruare dies festos inductos in Synodo.*
- 2 *Pars tenetur se conformare suo toto.*
- 3 *Leges Episcoporum Regulari non ligant.*
- 4 *Ieiunia ab Episcopo imposita non obligant Religiosos.*
- 5 *Casus in quibus Regulares tenentur legibus Episcoporum, & num. 6.*

An dies festiuos inductos in Synodo ab Episcopo, tenentur obseruare regulares.

- 1 **A**ffirmatiuam sententiam docet Vasquez in part. 2. tom. 2. disp. 167. c. 4. nu. 32. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 4. num. 25. c. 15. qui citat. Rodriquez, Villalobos in summa tom. 1. tract. 2. dub. 51. num. 4. Becanus in summa Theol. part. 2. tract. 3. c. 6. quæst. 11. n. 3. & in hanc sententiam videtur inclinare Malderus in part. 2. quæst. 96. art. 5. fol. mihi 409. col. 1. & alij, qui asserunt religiosos obligari iure naturæ saltem quo ad iuridicam ad eiusmodi leges seruandas, quando ille non derogant statui religioso, & spectant ad communem obseruantiam, & deuotionem totius populi, & Cleri; pars enim debet conformari suo toto saltem in ijs in quibus homogenea est.
- 3 Idem docet Pontius de matr. lib. 5. cap. 7. num. 31. & Portell. in dub. Reg. ver. loc. nu. 1. vbi asserit leges Episcoporum non ligant Religiosos nisi quoad festorum obseruationes, interdicta, ceterasque censuras obseruandas pro quibus ferendis licentiam habent a Trident. & idè rectè Elamas in summa, seu Methodic. part. 3. cap. 5. §. 28. in fine notauit, quod ieiunia ab Episcopo imposita non obligant Religiosos exemptos, quod etiam docuit Portell. vbi supra in dub. regul. verb. festi dies num. 3. sentiens in conscientia ad dict. ieiunia non teneri nisi ratione scandali, & nisi in vsu, & consuetudine illam regulam acceperunt, & citat Suarez vbi supra. Notandū est vero, quod sunt multi casus, in quibus Religiosi etiam exempti tenentur legibus, & sententijs Episcoporum, quia sunt in iure expressi, quorū numerum inuenies adnotatum diligentissime apud Malderum in p. 2. quæst. 96. art. 5. fol. mihi 408. & apud Cenedum in quæst. Canon. quæst. 26. per totam, vide

etiam Barbosam de potestate Episcopi p. 3. allegat. 105.

- 6 Et ex his existimo præter obseruantiam dierum festiuorum solum teneri ad leges synodales ex decencia, & ratione scandali vitandi, ideoque si scandalum cesset, nunquam peccare illas non obseruando, etiam docet Granad. in part. 2. contr. 7. tract. 3. part. 1. disp. 6. sect. 3. num. 18. Lorca etiam in part. 2. tom. 2. disp. 25. membr. ult. Suarez de legibus lib. 4. c. 20. num. 9. & Sallas de legibus tract. 14. sect. 4. nu. 42. & ex Prædicatorum Familia, Michael Zanardus in suo direct. Theol. part. 2. præcept. 4. c. 12. in fine.

RESOLVT. CCCLXXXI.

- 1 *Barones an possint prohibere ne in diebus festiuis Vasa libi elaborent, si Episcopi licentia interuenit.*
- 2 *Decisio Sacre Congregationis asseritur.*

Licentia laborandi in diebus festiuis in casu necessitatis, an ultra illam Episcopi requiratur Baronum loci.

- 1 **R**espondeo negatiuè, vt censuit sacra Congregatio, cuius tenor est; Officiales Curie secularis Mutinæ prætendunt neminem posse in diebus Festis vacare operibus seruilibus, etiam de licentia Episcopi, nisi eorum quoque licentiam obtineat, & laborantes absque eorum licentia incidere ad pœnas ab eis contra non obseruantes dies festos statutas, Episcopus petit, vt declaretur ad quem spectet huiusmodi licentiam concedere, & an si ipse præuia necessitatis approbatione aliquib. illam concesserit, possint prædicti officiales eos punire.
- 2 Sacra Congregatio Cardin. Concil. Trident. Interpretum censuit facultatem huiusmodi licentiam concedendi ad sacrorum Canonum præscriptum, ad Episcopum tantum pertinere, non autem ad ministros seculares, atque eos, qui diebus festis præuia Episcopi licentia operibus seruilibus vacauerint, nequaquam posse à Iudicibus laicis quoque modo multari, aut puniri. R. Card. P. baldi. locus sigilli.

RESOLVT. CCCLXXXII.

- 1 *Peregrinus an ligetur legibus loci per quem transit, & numer. 3. & 4.*
- 2 *Episcopus an possit ministrare Sacramenta Peregrinis.*
- 3 *Casus in quibus Peregrini subijciunt Episcopis.*

An Peregrinus loci vbi festum est de præcepto, possit si fuerit inobseruans, condemnari ad penam Edicti positam ab Episcopo contra inobseruantes Festa.

- 1 **N**egatiuè respondendum, si quidem peregrinos non obligari legibus, & consuetudinibus loci, in quo sunt, dicit Pontius de matr. lib. 5. c. 7. §. 1. nu. 6. Nauarrus in Manu. c. 13. n. 5. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 5. Driedo lib. 1. de libert. Christ. c. 17. §. vna est, Ledema 1. part. 4. quæst. 15. art. 2. dub. 2. Lopez in instruct. part. 1. c. 52. §. vna quoque Ciuitas, Couar. lib. 4. var. c. 20. num. 8. circa finem.
- Et ratio est, quia lex tantum obligat subditos, & partes communitatis pro qua fertur, sed aduenæ, & peregrini non sunt subditi, nec pars communitatis in qua versantur; Ergo non tenentur legibus eius, maior est certa, minor probatur: Nam aduenæ non habent intentionem, vt suppono, manendi in tali loco pro maiori anni parte; Ergo non censentur in eo loco habitare, & consequenter non ligantur talibus consuetudinibus, & legibus. Deinde Episcopus talis loci non potest dictis Peregrinis aliqua Sacramenta ministrare præter Confessionem, & Communionem, & hæc

ex 14-

ex tacita proprii Episcopi licentia; nec potest cum illis dispensare; ergo nec iurisdictione obligandi illis suis legibus tenetur, & ita hanc sententiam docet Granado in part. 2. controuerf. 7. tractat. 3. part. 1. disputat. 7. sect. 4. num. 25. Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 18. num. 4. & in opere moral. tom. 1. lib. 1. c. 12. nu. 38. Azor. part. 1. lib. 7. c. 30. quæst. vlt. Vegha in summ. tom. 1. c. 14. cal. 11. & alij penes ipsos. Quæ sententia adhuc corroboratur, eo quod Peregrini præciso scandalo non obligantur legibus, & consuetudinibus particularibus locorum ad quæ diuertunt nisi habeant intentionem manendi ibi pro maiori anni parte, non autem pro minori, & ita docet Sanchez ubi supra num. 9. Granado in capitul. 2. contr. 7. tract. 3. part. 1. disput. 6. sect. 4. num. 23. & 25. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 2. dub. 33. num. 8. Reginald. virtute suorū priuilegiarum possunt pro satisfactione præcepti sumendi Eucharistiam semel in anno tempore Paschæ communicare dictos Peregrinos, qui non habent animum commorandi in aliquo loco pro maiori anni parte, quia in tali casu nulla efficitur iniuria Parochis, cum huiusmodi Peregrini non sunt sui Parochiani, & propria Parochia in illo loco careant, & ita docet Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 23. num. 17. & Fagundez loco cit. n. 5.

4 Intellige supra positam conclusionem procedere, ubi manent in loco transientes, & per modum hospitij, & in transitu prandendo, verbi gratia, vel pernoctando, secus si permanent in loco, ita docet Lessius lib. 4. c. 2. dub. 8. num. 51. Suarez de Religione tom. 1. li. 2. c. 14. n. 8. Filiucius tom. 1. tit. 27. c. 7. n. 116. & seq. Fagundez ubi supra de præcept. tract. 2. li. 1. c. 8. n. 15. & 20. & quod obligentur Peregrini quoties sedē figur animo ibi perpetuo manendi, ita docet Angel. in 4. quæst. 4. de ieiunio ante dub. 1. difficult. 2. & alij apud Fagundez de præcept. Eccles. tract. 1. lib. 1. capit. 8. num. 1. & Sanchez de matrim. tom. 1. lib. 3. disput. 18. num. 8.

5 Sunt tamen nonnulli casus in quibus Peregrini obligantur legibus Episcopi, primo, quoad contractum solemnitarum, nam omnes aduenæ tenentur seruare solemnitates in contractu requisitas legibus, & consuetudinibus loci in quo contrahunt. Secundo quando legum transgressio cederet in damnum illius loci, tunc enim Peregrini tenentur, ut si aliquid statutum prohibeat aliquid contrahi ex illo loco. Tercio supradicta doctrina secundum aliquos non est intelligenda de vagis, qui nullibi certam sedem habent, hi enim tenentur ad leges illius oppidi, per quod obiter transeunt: Quarto, quando ille leges obligant etiam in loco domicilij, & non solum in loco ubi reperiuntur, nam in hoc casu nulla ratio est excusans, vide Villalobos in summ. tom. 1. tract. 2. dub. 33.

RESOLVT. CCCLXXXIII.

- 1 Episcopus an possit quid exigere pro licentia de elaborando in diebus festiuis, & num. 2. 4. & 5.
- 3 Ea quæ sunt tempore peritura omni tempore fieri permittuntur.

An pro licentia laborandi in die festiuo possit Episcopus aliquid exigere.

1 Ego semper fui in opinione tam nonnullis Prælati consulendo, quam in mea Diocesi obseruando non posse Episcopum pro licentia laborandi in diebus festiuis aliquid exigere ex Azorio 2. par. lib. 1. c. vlt. quæst. 12. sequitur Posseuinus de officio Curati ca. 12. n. 17. Naldus in suis practicabilibus resolutionibus verbo festum num. 7. Meghal. consil. 97. n. 3. & ratio est, quoniam esset contra præceptum decalogi Sabbati.

Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

ta sanctifices, contra quem Episcopus ut inferior dispensare nequit c. proposuisti de concess. præbend. c. cum inferior de maiorit. & obedient. late Truif. decif. 42. p. 2. & latissime Duenas regula 25. verbo Episcopus, rursus esset concedere spirituale pro mercede temporali, quod est de iure prohibitum c. fin. de rerū permutat. c. portiones de pactis, & latissime Afflictus in decif. 17.

2 Tandem dicebam, quod aut licentia hæc impartitur causa necessaria laborandi, & tunc cum à iure gratis conceditur, gratis pariter concedenda est ab Episcopo, argumento text. in l. final. ff. de condit. ob turpem causam, frustra enim à Iudice impetratur, quod de iure communi conceditur l. final. C. de precibus Imperatori offerendis.

3 Et de iure perimittuntur fieri omnia, ea quæ sunt tempore peritura, ut voluit Bart. in l. si prius, quæst. 10. de nou. oper. nunciat. Bald. in l. 1. nu. ... ver. sed nunquid, C. de tempor. appell. Roman. in l. si vero §. de viro, ff. solut. matrim. Doctor. in c. fin. de re iudic. Abb. in c. licet de ferijs, Felyn. in c. Eccles. Sanctæ Mariæ col. 13. not. 8. in fine num. 32.

4 Limitarem tamen, ubi soluitur aliquid Episcopo non quidem immediate, ac directè pro licentia laborandi, sed mutando opus seruale laborare volentis, in aliquam largitionem, cedendam in opus pium, ut voluerunt Posseuinus, & reliqui omnes ubi supra, & hoc bonum erit remedium pro reducenda ad obseruantiam sanctificatione festi, ubi populus multum in ea est releuatus, si tamen hoc velis praticare consulo agas de Episcopi consilio, & quæ dantur non perueniant ad manus suas, sed dentur pro causa pia, & dentur manifestè, ut omnis suspicio euitetur; Item obseruandum ne ista exigantur, nisi quando causa laborandi est dubia, quia si clarum est, esse iustam legitime sine alia exceptione datur.

5 Limitarem secundo, ubi aliquid exigitur ab Episcopo loco pænæ incurse, quo casu secundum Genuen. in Manuali Pastorum quæst. 89. licet posse exigi, & ita seruari Neap. ubi exigitur media pænæ, & frequenter remittitur pauperibus. Animaduertant tamen diligenter Reuerendissimi Antistites, ne pænā exigant ante patratum delictum in grauamen tamen animarum ipsorum.

RESOLVT. CCCLXXXIV.

- 1 Clericus beneficiatus sine licentia sui Prælati potest studia adire.
- 2 Pænæ edicti contra inobseruantes dies festos an exigi possit quando elaboratur sine licentia Episcopi in casibus necessariis.
- 3 Casus necessarii elaborandi in diebus festiuis.

In casibus necessarijs in quibus licita est laboratio in diebus festiuis, an si illa fiat absque licentia, possit exigi pænæ edicti.

R Espondeo negatiuè, quia frustra precibus impetratur, quod à iure communi conceditur l. 1. ff. ad municip. l. Imperatores, ff. de priuileg. credit. l. 1. C. de Theauris lib. 10. Surd. decif. 173. num. 18. conf. 216. num. 2. & consil. 298. num. 26. Escobar de ratiocin. c. 6. num. 29. in fine.

Confert illud simile, quod deducitur ex Nauar. ca. 25. num. 121. notab. 2. per c. fin. de magist. ubi dicitur Clericum beneficiatum posse adire studia sine licentia Prælati; ratio sua est, quia eam ius commune concedit idem Syluest. in verbo residentia §. vlt. ver. 3. Astenf. lib. 6. ritu 43. quæst. 6.

2 Causæ autem necessariae sunt metendi, seminandi, vindemiandi, proponandi, colendi oliuas, coquendo

Nn 4 panes

panes pro necessitate Civitatis, & ijs similibus, quæ omnia fieri non debent sine necessitate, ut quia timetur pluvia, vel aliud periculum est in mora, Abb. in c. licet de ferijs, Navar. c. 13. num. 1. & communis videtur
 3 sufficiens causa quando Messores diebus ferialibus haberi non possunt, & si vindemia differatur, vix sunt in periculo marcescendi, vel alia arbitrio boni viri ne res tempore pereant, viduis pauperibus, quæ non possunt soluere mercedem Messoribus, aut colligētibus vvas, sed tantum victum ob eorum paupertatem, potest concedi licentia quando est periculum, quod vna in qua adest multum dissolvatur, quod solet contingere post aliquot dies si est magna poterit concedi licentia deferendi vinum ad domum in fundo, & aliæ iustæ causæ sunt considerandæ iuxta qualitatem regionis, & ita ego practicaui multoties tanquam Vicarius Archiepiscopalis Curia Neapolitanæ, & vti Episcopus Vici Equensis.

RESOLVT. CCCLXXXV.

- 1 Observatio diei festini quando incipit.
- 2 Horologio Parochie standum est, ut sciatur quando incipit media nox, & quid si in loco non adest Horologium num. 3.

Observantia festivitatis, à quonam tempore incipiat ad effectum excusandi, vel incurrendi in penam adiutorum per Episcopos imponi solitam.

- 1 Pro decisione huius articuli, est affirmandum observantiam hanc incipere à media nocte præcedentis diei, vsque ad aliam sequentis, ut probat Navar. in Manual. c. 13. nu. 6. Sylvester in summa in verb. festum num. 4. in fin. Episcopus Minorens. in sua praxi Episcopali cap. 106. per text. in l. more ff. de ferijs, vbi dies incipit à media nocte, & gloss. notabil. in c. 1. eod. tit. latè Francolinus in tempore horarum Canoniarum c. 87. Ludovic. decis. 116. num. 7. Gonzal. in regul. 8. Cancellar. gloss. 1. 1. a num. 9. Ripa in tract. de nocturno tempore cap. 3. a n. 17. & c. 158. Garzia de benefic. part. 5. c. 1. num. 523. vbi etiam num. seq. annuit mediam noctem incipere à primo pulsu horologii illius horæ mediæ noctis, Sanchez in tract. de matrim. lib. 2. disp. 41. num. 40. & vbi sunt diuersa horologia videtur standum horologio parochiæ, seu vicinæ, in qua residetur, aut illi per quod ibi communiter recipitur cessante tamen fraude, aut notabili de ordinatione, horologii.
- 3 Et in locis, vbi non est horologium, vel si sit quando probatur non esse benè ordinatum, seu quod audiri non potuit, aut de facto non fuit auditum, accipienda erit media nox, iuxta cursum noctis, arbitriumque, ac iudicium hominum præsertim habentium experientiam, & cognitionem de hoc, & etiam à communiter accidentibus, & similibus, ut latius vltra alios per eundem Garziam de benefic. loco nuper citat. num. 526.

RESOLVT. CCCLXXXVI.

- 1 Episcopus in sua Diœcesi inducere potest dies festos accedente populi consensu.
- 2 Episcopus potest facere constitutiones synodales cum consensu Capituli tantum.
- 3 Text. in cap. final. de ferijs declaratur.
- 4 Dies festini an induci possint per Principem sæcularem, & an per consuetudinem populorum, num. 5.

De intellectu in c. fin. de ferijs circa indicationes diei festi.

- 1 Estos dies inducunt Episcopi in suis Diœcesibus, quod tamen aliqui Doctor. limitant accedente,

populi consensu ducti auctoritate c. 1. de consecr. dist. 3. Verum cum ex iteratis declarationibus Sacra Congregat. consister Episcopum posse abiq; Cleri consensu, sed tantum cum consilio capituli facere constitutiones synodales, non video cur etiam non dicamus posse, & eodem modo dies festos indicare populis.

Ad dictum autem Capitulum, cuius auctoritate nititur contraria opinio, respondetur illud fuisse desumptum ex Concilio Lugdunensi, quod vti Prouinciale, & non generale obligabit pro eadem Prouincia tantum, non etiam extra illam nisi directiue, solum ad dicta per Nald. verbo Canon. num. 2. & Liber. num. 2.

- 3 Et si quis virgeret hoc idem, quod in præfato Lugdunensi Concilio, statuitur fuisse pariter etiam sancitum per Summum Pontificem in c. final. de ferijs, responderetur verba illa cum Clero, & populo in præcitato Capitulo posita non esse iungenda, cum verbo duxerint, sed cum verbo seruanda, ita ut faciant hunc consensum, videlicet, quæ Episcopi duxerint seruanda cum Clero, & populo, & in hunc sensum intelligit illum text. Butrius in eodem loco, & Cassan. in Catal. glor. mun. par. 3. c. 48. & satis inclinatur Panorm. dicens ibidem n. 5. populum non posse contradicere Episcopo præcipienti nouum festum ex iusta causa, & hoc modo intellectus locus ille nihil obstat præfatæ nostræ resolutioni.

4 Festa aliquando etiam indicuntur à Principe seculari, quæ tamen iuxta communem opinionem obligant tantum ad penam temporalem, non etiam ad culpam cum ipse Princeps secularis non se immisceat in cultu Diuino ad quem promouendum à Superiore Ecclesiastico dies festi instituntur; Poterit tamen Index secularis punire violationem diei festi, cum hoc crimen sit misti fori, & ideo locus erit præuentioni; Leo in Thesaur. fori Eccles. part. 2. c. 1. num. 29.

- 5 Festum inducitur etiam per consuetudinem populorum, quæ sanè consuetudo, si per decennium fuisset in vsu, videtur obligare ad dicta superius verbo consuetudo n. 2. quod & de ieiunio procedere dicitur infra ieiunium num. 3. & notat Molin. tom. 1. fol. 281. tract. 2. de iust. disp. 77.

RESOLVT. CCCLXXXVII.

- 1 Executio realis an fieri possit in diebus festinis.

An executio realis possit fieri in die feriato.

- 1 Debitores solent infestare Episcopum, quod non debet fieri executio realis, contra eos diebus festis, ad quod dicendum est, quod executio realis, quæ fit sine causæ cognitione, quia iam fuit iudicatum non debet impediri die festo, Feder. consil. 144. idem censuit sacra Congregat. Concil. Trident. executiones personales fieri non possunt nisi debitores sint suspecti de fuga, Doctor. in c. fin. de iudicijs. Verum quia, ut plurimum debitores contra quos non potest fieri executio Realis, sunt suspecti de fuga, & si Episcopi vellent de suspicionem fugæ cognoscere, quam plura scandala orirentur, melius est ut non impediatur executio realis, & personalis in ciuilibus, & criminalibus sine causæ cognitione, & ita Ciuitate Neapoli seruatur.

RESOLVT. CCCLXXXVIII.

- 1 Comestibilia an vendi possint in die festino.

Comestibilia an possint vendi in die festiuo.

- V Era existente conclusione communiter ab omnibus recepta festum non violari in omnibus quæ sunt

sunt tempore peritura, vt latè per Doct. in c. fin. de ferijs, & per Summistas communiter in verb. festum, & latè Gratian. in dec. 5. quaritur hic an comestibilia possint vendi diebus festiuis, & communem resolutionem posse, vt latè per Posseuinum de officio Curati cap. 12.

Verum valdè animaduertendum, vt quamuis in diebus festis possint vendi comestibilia, quæ pro necessitate victus humani deseruiunt cap. 1. & c. conquestus, de ferijs tamen, vt cognoscatur aliquod discrimen inter diem festum, debent venditores ponere aliquod signum diebus festis sicut in Vrbe seruatur, nam venditores carnum ponunt ante carnes telam albam, Neapoli duæ tabulæ ante apothecam Aromatarij, capones vendentes pastillos, aut carnes falsas possent videri, laborare, coquere medietate iannæ clausa; Vbi ciues sunt pauci potest differri coctura panis post auditam Missam nisi necessitas urgeat; Idem dicendum in Molendino, quod vi ventorum, vel fluminis molit, vt cessante necessitate prius audiatur Missa.

RESOLVT. CCCLXXXIX.

- 1 *Episcopus an teneatur credere, quem laborasse cū causa.*
- 2 *Credendum est probo viro.*

Si Episcopus sciuerit aliquos in festo laborasse, sed dicant cum causa, an teneatur eis credere.

Distingendum est, quod aut persona id asserens est modica, ac deprauata fama, aut bonæ, & honestæ, in primo casu minimè credendum, & pœna edicti exigenda, in secundo vero casu est credendum, & proinde à pœna exactione abstinendum.

Regula enim iuris est, credendum omnino probo viro, vt per Bald. in consil. 29. nu. 3. & seq. prout creditur etiam probo viro, vel nobili asserenti se delegatum, Innoc. in c. cum in iure de offic. deleg. Abb. in c. cum olim de priuil. Rom. consil. 59. nu. 6. & ibi addit Mascard. de probat. volum. 2. conclus. 1091. nu. 19. latè Gabr. in conclus. 3. nu. 7. & 8. Gabriel. consil. 3. & nu. vide Macerat. resolut. 74. & ita loquendo de Curato voluit Posseuinus de offic. Curat. cap. 12. 2. colum. his vtens verbis, quid si Curatus sciuerit aliquos in festo laborasse, sed cum causa an teneatur credere, vel debeat exigere pœnam; Resp. Teneri credere, quia per istam causam isti laborantes fuerunt excusati, ideo non debent cogi ad pœnam, quia ita rationabiliter iudicatur mentem esse Episcopi, cum alias videatur irrationabile obligare excusatum.

PRAXIS PRÆCEDENTIÆ
Dignitatum, & Canonicorum Ecclesiarum
Cathedralium.

RESOLVT. CCCLXXXX.

- 1 *Vicarius præcedit omnes de capitulo, & num. 6. & 7.*
- 2 *Vicarius generalis habet iurisdictionem ordinariam, & num. 4.*
- 3 *Episcopi, & Vicarij idem est Tribunal, & num. 5.*
- 8 *Decisio Sacre Congregationis Rituum per questionis resolutionem asseritur.*

Vicarius Episcopi an debeat præcedere omnes dignitates, ceterosque omnes de Capitulo.

Non est dubium, quod Vicarius debet, tam in procedendo, quam in alijs omnibus actibus præcedere Decanum, Archidiaconum, & omnes de Capitulo, Abb. consil. 21. part. 1. latè Felyn. in rubr. de ma-

ior. & obed. n. 10. in fin. Boich. in tract. de Synod. Episcop. par. 3. n. 20. & cap. 13. num. 39. cum seq. vbi latissime Paulin. in tract. de offic. & potest. Cap. Sede vacante q. 10. par. princ. verific. an autem Vicarius n. 17. vbi dicit, fuisse consultum in Vicario Patavin. Beda consil. 22. n. 20. cum sequent. volum. 1. ea potissimum ratione, quia Vicarius habet iurisdictionem ordinariam, in Archidiaconum, Decanum, & totum Capitulum, ac in vniuersam Diocesim, gloss. & Doct. & in cap. Romana de appellat. in 6. in cap. licet, de offic. Vicar. & gloss. in Clem. 2. de rescript. Abb. d. consil. 21. Bertach. in tract. de Episcop. in 3. part. 4. lib. in titul. de offic. Vic. nam, & si ab Episcopo eligatur, iurisdicatio tamen à lege sibi conceditur, ideoque ordinariam iurisdictionem habere dicitur ca. 1. 2. & 3. de offic. Vic. in 6. leg. & quia si de iurisdic. omni. Iud. Bero. d. consil. 22. nu. 37. volum. 1. vnde conueniens est, quod tanquam maior debeat sedere in altiori, & digniori loco, item quia Episcopi, & Vicarij idem Tribunal, idemque Consistorium ca. 8. de cens. in 6. dict. c. Romana, Abb. dict. consil. 21. de Petr. dict. consil. 6. n. 45. 53. auctoritate Episcopi, & ministerio Vicarij, vt dicit Archidiaconus in c. in noua 16. q. 7. Bald. in titul. de pact. Iur. fir. §. ex præmissis, ver. item pono, Bero. consil. 23. nu. 9. volum. 1. igitur diuerso iure censi non debet, argum. Nam hoc iure de vulg. & pupill. vnde stante huiusmodi vnione inter Episcopum, & Vicarium non debet esse dispar ratio, vt vnus debeat præferri, & non alter.

Et in tantum istud est de iure verissimum, quod contraria consuetudo non est attendenda, tanquam irrationabilis, & contra ius Diuinum, naturale, Canonicum, & ciuile. Imò tanquam pestis habens originem ab ambitione, & vecordia, est vitanda, vt latè per Abb. consil. 21. 2. par. Felyn. in rubr. de maior. & obed. colum. pen. Iaf. in leg. de quibuscunque de leg. Roch. de Curt. in tract. de consuetud. seu in cap. fin. colum. 8. ver. 4. amplifs. Cardin. Iacobat. in tract. de Concil. lib. 1. in titul. de ord. seden. in Concil. Nec est facienda distinctio an Episcopus sit præsens, vel absens in loco, quia Vicarius ita habet iurisdictionem ordinariam à lege præsentem Episcopo, sicut absente, & illam potest exercere, & ita dicitur habere vnum, & idem Tribunal, & consistorium cum Episcopo, ipso præsentem, sicut eo absente, vnde nõ dicatur ratio diuersitatis, & ideo talis distinctio non est admittenda, vt in terminis tenet, & latè profectur de Prat. in tract. de Clyp. Past. c. 6. nu. 41. cum seq. c. 7. n. 13. 14. 15. & per totum, vbi respondet, & probat, quod Episcopus, & Vicarius non sunt duo capita, vt aliqui dicunt, sed vnum tantum caput, & vnum officium tanquam materia, & forma, idem tenet Bero. dict. consil. 22. nu. 22. vbi dicit, quod censetur vna, & eadem persona, & simul iuncti faciunt vnum tantum effectum, iuxta extrauag. vnā sanctam, nam sicut Christus, & Christi Vicarius Petrus, & Christi successor sunt vnu caput, & ideo vterque debet præcedere honorari, quapropter præsentia, vel absentia non dissoluuntur, ita optimè declarat. de Prat. dict. c. 6. & 7. præsertim num. 13. vsque ad nu. 18. Henr. Boich. in tract. de Synod. Episcop. nu. 21. & quia Vicarius coruscet radijs Episcopi, sicut Augusta radijs Imperatoris Cum. & alij in leg. quod Principi ff. de leg. de Prat. dict. c. 6. nu. 39. & istud multo magis procedit, Episcopo præsentem quam eo absente, ideo non est facienda, talis differentia eandem opinionem tenet, & sequitur Arnon. singul. 28. auctoritate, Abb. dict. consil. 21. & ita fuit decisum in signatura sanctissimi pro Vicario contra ecclesiæ Placentiæ Capitulum, & est decisio etiam Rotæ in nouissimis diuers. 200. nu. 4. p. 1. adde etiam vltra alios quos numerare potuissem, & consultò breuitatis causa ommitto Sbroz. de Vic. Episc. lib. 9. 25. Melil. de præced. Vic. & Rauén.